

est. Utinam quoque haberemus, quos scripsit Moderatus libros quinque de scholis sive dissertationibus Pythagoricis &c. Vitam denique & Symbola Pythagoræ descripserunt atque exposuerunt Laërtius, Malchus seu Porphyrius ac Jamblichus, quibus ex junioribus adjungendi supra jam memorati Erasmus, Phil. Beroaldus, Lil. Gyraldus, Franc. Bernius, Nicol. Scutellius, aliique. Ad extremum nostro ævo ex instituto illustrarunt hanc philosophiam scriptores non sine encomio nominandi, & a nobis sæpius citati, Cl. Joannes Schefferus in singulari libro *de natura & constitutione Philosophiæ Italicae seu Pythagoricæ*, Joh. Schilterus in diatriba *de Disciplina Pythagorica*, & Magnus Dan. Omeisius in *Ethica Pythagorica*.

## CAPUT. V.

DE EPICURO, EJUSQUE  
SECTATORIBUS.

## §. I.

**M**onitum a nobis in *Introduct. hujus Cap. I.* §. II. ab Italica philosophia per Pythagoræ disciplinam manasse potissimum tres sequentes sectas, Eleaticam, Epicuream & Scepticam. Priusquam de Epicuro, ejusque sectatoribus sermonem instituamus, placeat de secta Eleatica paucissima tantum præmittere, cujus studium in natura inprimis positum fuit.

Qqqq

Au-